



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BELTHANGADIEN*** IN INDIA NOVA EPARCHIA
CONDITUR NOMINE BELTHANGADIENSIS Cum ampla Archieparchia Metropolitana Tellicherriensis haud parvam
comprehendat regionem duarum Foederatarum Civitatum Indiae, quarum una lingua Kannada, altera Malayala utuntur,
Nos, utpote beati Petri Successores de totius Dominici gregis bono solliciti, in Audientia Venerabili Fratri Nostro Achilli
S.R.E. Cardinali Silvestrini, Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, hodie concessa, ad aptius consulendum
spirituali saluti atque regimini multorum Christifidelium in ea commorantium, consentimus ut eadem ita dividatur ut ex
ipsa nova constituatur Eparchia. Summa igitur Apostolica potestate sequentia decernimus: quodam detracto territorio ab
Archieparchia Metropolitana Tellicherriensi, novam condimus Eparchiam *Belthangadiensem*, cuius sedem eparchialem in
urbe « Belthangady » poni iubemus, cunctis factis propriis iuribus atque obligationibus. Quam quidem Eparchiam
memoratae Archieparchiae metropolitanae suffraganeam facimus, mandantes ut ea complectatur territorium detractum e
provinciis Dhakshina Kannada et Coorg. Haec omnia reliquaque secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum
Orientalium temperentur. Insuper de eodem absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad Congregationem, quam
diximus, mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis
quibuslibet rebus nihil obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo quarto mensis Aprilis, anno
Domini millesimo nongentesimo nonagesimo nono, Pontificatus Nostri vicesimo primo.*

ANGELUS card. SODANO

ACHILLES card. SILVESTRINI

Secretarius Status

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Horatius Cocchetti, *Protonot. Apost.*

Tharsicius Nardi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 11, pp. 1025-1026 © Copyright 1999 - Libreria Editrice Vaticana